

si me audias, eandem causam agas, teque et principem civem et pontificem esse cogites, et, quoniam in utramque partem vobis licet disputare, hanc potius sumas: eamque facultatem disserendi, quam tibi a rhetoricis exercitationibus acceptam amplificavit Academia, huc potius conferas. Mala enim et impia consuetudo est, contra deos disputandi, sive ex animo id fit, sive simulate.

Cic. Somn. Scip. 8. Deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui regit et moderatur mundum, et est aeternus.

Nat. Deor. III. 39. Nihil est, quod Deus efficere non possit, et quidem sine labore ullo.

Nat. D. III. 15. Obscurum Deo nihil potest esse.

Nat. D. III. 39. Ut hominum membra, nulla contentione, mente ipsa et voluntate moventur: sic numine deorum omnia finguntur, moventur atque mutantur.

Tusc. I. 9. Mors ipsa, quae videtur notissima res esse, quid sit, primum est videndum? Sunt enim, qui discessum animi a corpore putent esse mortem. Sunt, qui nullum censeant fieri discessum, sed unâ animum et corpus occidere, animumque in corpore exstingui. Qui discedere animum censent; alii statim dissipari, alii diu permanere, alii semper.

Laelius IV. Non assentior iis, qui haec nuper disserere coeperunt, cum corporibus simul animos interire, atque omnia morte deleri. Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum majorum, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt, quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur; vel eorum, qui in hac terra fuerunt, magnamque Graeciam (quae nunc quidem deleta est, tum florebat) institutis et praeceptis suis erudierunt; vel ejus, qui Apollinis oraculo sapientissimus est judicatus, qui non tum hoc, tum illud, ut plerique, sed idem dicebat semper: animos hominum esse divinos, iisque, quum e corpore excessissent, reditum in coelum patere, optimoque et